

EPOS LUGUBRE

IN OBITU M

VIRI DEI LONGE CELEBERRIMI,

D. CAMPEGII VITRINGA, P.

In Inclita Academia Franequerana S. S. Theologiæ & Historiarum Professoris Meritissimi.

Fato Functi xxxi. Martii cIo Icccxxii.

Dialogus Condolentium cum Academia.

Cond. **F**ranequerana tuis Academia mœsta querelis
 Imples cur tantis, Orbis ubique loca?
Acad. Desleo Thesbitem, VITRINGAM, currus equosque;
 Eliæ Patris tristia damna fleo.
Cond. Et quid ais luctu grandi lassata Minerva?
 Pluribus exponito qualia damna fleas?
Acad. Doctor coelesti longè super æthera curru
 Emicuit, nostri grande decus Capitis.
Cond. Obstupeo languens, ficcis vox faucibus hæret,
 Talia dum veniunt, nuncia dira necis.
 Et quis, cor nisi sit ficuti durissima petra:
 Funera non madidis audiat hæcce genis?
 Hungarus & Gallus, Teuto, Brito, Belgica Tellus:
 Invenit hic causam, cur sua damna fleat.
Acad. Ast mihi parce precor, verbis renovare dolorem,
 Est fatis ad planctus mens mea prona suos.
 Non vult solamen, sævo jacet ebria luctu;
 Et veluti Turtur nocte dieque gemit.
 Mantua Virgilium ploravit, Naso Tibullum,
 VITRINGAM plangas ô Franequera tuum.
 Quis dabit ex oculis rivos, luctumque dolori,
 Lugubri mœstos voce referre sonos.
 O funesta dies! ô lamentabile fatum!
 Quod non virtutis mens studiosa movet.
Cond. Sufficiunt tristes mediocri funere luctus,
 Vulgaris lachrymis eluiturque dolor.
 At quis in hoc casu planctus queat edere dignos,
 Quis tandem finis; tristitiæque modus?
Acad. Multis occasus lachrymabilis eheu tanti;
 Ast mihi flebilior fideris esse potest.
 Ædes ipsa Virum, toties mirata loquentem
 Condolet: atratos induiturque sinus.
 Ingenuos videas Juvenes, demissaque colla:
 Noscitur ex ipso cuilibet ore dolor.
 Alter & ad focium variis sermonibus inquit,
 Vidi ego VITRINGAM, sacra docere Dei.
 Ah! quoties illum suavius mihi melle loquentem
 Audivi: totus tunc recreatus eram.
 Quantus Doctor erat, Magnum hoc memorabile Nomen,
 Dicere res non est viribus æqua meis.
 Ne tamen in manes sim Magni Patris iniquus,
 Quod meritò tandem crimine fama notet.
 En igitur quædam tenui Linguæ cochleari,
 Expendam paucis, dicere quæ valeo:
 Theiologum Sidus Divina scientia fulgens,
 Fulcimen Fidei: Fortis Athleta Dei.
 Lux diffusa fuit fulgens hæc orbis in oras
 Cœlorum Pignus, Phœbea Lampas erat.
 Mirè contextos foelix evolvere nodos,
 Indubias Dubiis, addere Vindicias.

Doctrina & Candor, Pietas & Gloria, Suada,
 Certabant in eo, dexteritate simul.
 Hic oculus, tum grande decus, tum gloria Prima,
 Dum vixit fuerat Belgica terra tibi.
 Noverat Hebræis, Latiis, Grajis monumentis,
 Solyma, quid Latium, Græcia quicquid habet.
 Qualis & in mundo sæclorûm fluxerit ordo
 Monstrabat: studiis summus in Historicis.
 Quid opus est multis? nam si modo vera fatemur,
 Oceanus vastus cognitionis erat.
 Clausa jacent sed nunc in longam lumina noctem,
 Linguaque grandiloquens, conticuit subito.
Cond. Si Pietas, Virtus, potuissent ducere Vitæ
 Stamina Doctoris, vivere dignus erat.
 Nec dubium, planctus, lachrymæ, durissima Fata;
 Voraque si possent flectere vel minimum.
 Vel non vester adhuc CAMPEGIUS occubuisset,
 Mors vel eum debet reddere Musa tibi.
 Ast dum Thesbitem trahit irrevocabile Fatum,
 Elifeus frustra tunc revocabit eum.
 Cum nequeant igitur properantia Fata morari,
 Ferre decet miseros, vah! tua Fata Deus.
 Docta cohors igitur, digito compesce labellum,
 Noscito: non mala sunt quæ Jova non faceret.
Acad. Jam monitus tristes verborum mitto querelas.
 Augustos potius vultus adibo Dei.
 Supplicibus rogitans verbis, placabo Tonantem,
 Vulnere quæ fecit; quod religare velit.
 Sustulit ELIAM, nobis sed linquat ELISAM,
 Qui sanctum foveat religionis opus.
Cond. Non obiit VITRINGA suis; sed ad astra volavit,
 Mira manet mundo nescia Fama mori.
 In libris loquitur, dignis cedro monumentis,
 Ut nunquam dici mortuus esse queat.
 Vivit Successor, Magni Generosa Propago,
 Nomen, Virtutem, Munus habensque Patris.
 Hic, credo, morbi majorem tollere partem:
 Levare saltem, quærato docta cohors.
Acad. En aliquod solamen adest, moderorque dolorem;
 Ast fidi nequeo non meminisse Patris.
 Fide Pater, mens nostra tui tunc immemor esse
 Desinet, a gelido cum ruet axe Notus.
 Mittimus ergo te, quem non retinere valemus,
 Quemque Deus cœli vult satiare bonis.
 Sidus ut expansi fulgeto splendide Doctor!
 Perdoctum cingat Sacra Corona caput.
 Hi tamen in solido notentur marmore versus,
 Ornent qui bustum Magne Propheta tuum.
 CAMPEGII Clari plaudit Mens Enthea Cœlo
 VITRINGÆ: Corpus clauditur hoc tumulo.

His Celeberrimi Viri, dum viveret, Prædis; ac in Domino Venerandi Patris, funus
 ad Urnam usque Sepulcralem lugens comitatur

STEPHANUS Cs. KOCSI, Debrecino Hungarus. V. D. M.

